Rde in Xpo Pr

P. C

Gratissimas 3 Aprilis datas accepi ante 3 dies. Non dubito Ram Vam iam ex Pre Hollandt priori posta scripsisse, quod annuum illud subsidium Rae V. à sua Mtte concessum iam acceperit P. Procurator Provinciae illudque Romae dari Rae V. curaverit per R. Prem Koler. Quod non citius missum fuerit, non ego sed bonus Pr Procurator Suiae in causa fuit, qui oblitus non citius solicitavit. Spero imposterum semper in tempore illud habiturum Ram V, nec erit opus aliud agere quam ut in tempore Ra V vel per se vel per alium R. Prem Procuratorem Provinciae moneat. Caeterum mi Amantissime Pr non est quod roget veniam cum in nullo me offenderit, potius ego humillimè deprecor si forte in verbo aliquo offendissem prioribus meis literis, & revera non nisi confidenter volui Rae V. significare difficultatem quam habeo & patior, non à Caesare, qui optimus est & liberalis, sed ab ipsius ministris & officialibus, dum ea solicito quae sua Maiestas assignavit ex benevolentia sua aliis. Hinc mi Rde Pater valde gaudeo quod Dnus Gulielmus Persallus Augustae subsistens & per R. Prem Spaiser prius me interrogari curaverit an detur cum suo novo ac utilissimo invento per acum magneticam exacte satis inveniendi longitudines venire Viennam illudque sua Mtti communicare. Cum enim, ubi scribit Pr Spaiser, Dnus hic pro communicato secreto speret insigne honorarium & recompensam, non audeo suadere ut veniat, quod rogo Ra Va per aliquem ei curet cum humillima ex me salute dici Rdo Pri Christophoro Schorer qui eundem Dnum et mihi commendavit, cui quidem pro posse inserviam sed magnas spes facere non audeo. His me in S. Sacrificia humillimè commendo & maneo

Viennae 24 Aprilis 1660

R. V Servus in Xpo P. [illegible]

Abraham Koch

P. Møller